

RARIUS *Cent. IX. Memorab §. 19.* qui vitio nobis non ver-
tet, si cum *Illustr. PHILIPPO JACOBO SACHSIO A LE-*
WENHEIMB Gammarol. c. IX. p. 872. sq. hæc referente *illud*
mirabile experimentum potius arcanum naturæ putatitium, quam
in ejus majestate abstrusum, pronunciemus, nec non cum
Celeberr. THOMA BARTHOLINO, ejusdem furfuris reme-
dium referente, dicamus: *Ego cras credo, hodie nihil*: uti
hæc ex hujus *Cent. III. Hist. 66. p. 128.* recenset FRANCUS
A FRANCKENAV *Onychol. p. 51.* EVOLVE VALENTINI *Pan-*
dect. Med. Legal. P. I. p. 454. aliosque Scriptores, si plura e-
jusmodi desideras superstitiosa Curationum Sympatheti-
carum specimina. *Denique relatum mihi fuit*, inquit mo-
dò laudatus SACHS A LEWENHEIMB *l. c. p. 873.* fœ-
minam, si transeat sepulchrum fœminæ puerperio extinctæ,
eam laboraturam fluxu mensium perpetuo; sanari ægram,
si tres cancri sepeliantur cum puerpera. *Ast, ut idem p. 877.*
judicat, *quomodo superstitiosæ hæc per cancrum recensitæ*
curationes ad febrim cum deportatione Unguium & defos-
sione in puerperæ sepulchrum ad sistenda Menstrua valeant,
vix Oedipus erit Christianus, qui hæc ex naturalibus causis di-
vinari possit. Sacræ Medicinæ nihil commercii cum nefanda
magia. Hæc vobis dicta esse credatis, superstitiosi atque
absurdi remediorum horum superstitiosorum admirato-
res, laudatoresque, qui HIPPOCRATIS fœde contemni-
tis præceptum supra allegatum, *in medico debere esse supersti-*
tionis averfationem, graviter pronunciantis. Justæ hinc de-
bentur laudes cordatioribus Medicis, has superstitionum
abyssos detestantibus, quos inter merito referendus *Il-*
lust. WEDELIVS in Operibus suis cedro dignissimis a-
licubi sequentem in modum loquens: *Quæcunque super-*
stitiosa, magica, characteristica, diabolica, non naturalia sunt, ea